Oroſius lib. VII. cap. XL. refert ante biennium irruptionis Romanæ Alanos, Suevos & Vandalos, multóſque alios Francos protriviſſe, Rhenum tranſiſſe, Gallias invaſiſſe, & Pyrenæi obice ab Hiſpania repreſſos.

Cùm Gentiles, & Donatiſtæ poſt Stiliconis obitum adverſus Catholicos inſurgerent, legéſque contra ſe latas nequaquam ex mente Imperatoris latas; ſed Stiliconis opera jactarent; Carthagine Synodus habetur III. Id. Octobris, ex qua legatio ad Honorium decreta, qui rata omnia eſſe voluit, quæ adverſus illos ſancita fuerant. L. XLII. & ſeq. Cod. Theod. de Hæret.

Poſt obitum Porphyrii Antiocheni Epiſcopi, Alexander monachus ejus ſucceſſor communionem ab Innocentio ea lege meruit, ut & ordinatos ab Evagrio reciperet, & Joannem Chryſoſtomum in Diptycha referret. Epiſt. Innoc. XVIII. & XXI. & XXII.

| Per. Jul. ✻☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5122 26. 11. 7 C | 4392 | 409 | 126 | 15 2 | Olymp. 297 | 1162 | 1157 |

*Honorius Aug.* VIII. *Innocentii*
*Theodoſius Aug.* III. 8.

Alaricus poſt Stiliconis obitum paciſci cum Honorio voluit. Sed is pravis conſiliariis uſus noluit. Alaricus Romam obſedit cum Ataulpho fratre ſuo, qui Hunnorum & Gotthorum copias habebat. Eucherius interfectus ab Arſacio & Terentio Eunuchis. Mox Serena Senatus juſſu, & Placidiæ ſororis uterinæ Honorii. Zoſimus lib. V.

Conſtantinus tyrannus ad Honorium mittit; cui Honorius regiam purpuram obtulit.

Cùm in magnis anguſtiis eſſent Romani, auctores quidam erant, ut gentilitia quædam ſacra fierent; quod & Innocentium permiſiſſe falſò ſcribit Zoſimus. Interim ingenti pretio perſoluto ab Romanis obſidionem ſolvit Barbarus. ac de pacis conditionibus legati ad Honorium à Senatu, & Alarico miſſi; cúmque iis Innocentius. Sed Honorio Præfecturam utriuſque militiæ Alarico denegante, ad obſidendam Romam ille revertitur. Zoſim.

Aliani, & Vandali, & Suevi Hiſpanias ingreſſi æra CCCCXLVII. alii IV. Kal. alii III. Id. Octobris memorant die, feria III. Idatius. Quomodo id acciderit, vide Oroſium lib. VI. cap. XL.

Idatius captam urbem hoc anno ſcribit Olymp. CCXCVII. Honorii XV. Sanè annus Iphiti 1185. iniit anno Chriſti, 409. ut & annus Honorii XV. Sed & Conſtantinum tyrannum in Chron. dicit occiſum Theodoſio IV. Coſ. poſt triennium invaſæ tyrannidis. Ergo anno 411. Proinde hoc anno tyrannus eſſe cœpit.

Pinianus cum Melania ſeniore, & Melania juniore conjuge, & ſocru Albina Carthaginem, inde Hipponem ad Auguſtinum veniunt. ubi populi concurſu, ac violentia Pinianum Presbyterum poſtulantis jurare is coactus eſt, ſe, ſi Clericus fieri vellet, nonniſi Hippone futurum. Quod quidem de voluntate ſua minimè eſſe factum purgat Auguſt. Epiſt. CCXXV.

Mortuo filio ſuo, Melania ſenior Jeroſolymam profecta, XL. pòſt die moritur. Pallad. Lauſ.

Honorius cùm alia multa laude digna ſanxit; tum illud, ut carcere concluſi Dominico die foras educerentur, ut eis à Chriſtianis, & Sacerdotibus ſubſtantia præberetur, atque ut tunc ad balneas ſub fida cuſtodia ducerentur. L. VII. Cod. Theod. de cuſtodia reorum.

Chronicon Alexandrinum hoc anno refert renunciatam eſſe mortem Thermantiæ uxoris Honorii A. D. III. Kalend. Auguſti, feria III: Eodem anno etiam nuncius allatus eſt Conſtantinopolim VIII. Kalend. Octobris feria VI. de cæde Athaulphi barbari ab Honorio facta. Item dedicata eſt Eccleſia magna Conſtantinopoli VI. Id. Octobris feria I. Nec non S. Joſephi Jacobi filii, & Zachariæ patris S. Joannis reliquiæ VI. Non. Septembris illatæ ſunt. Sabbato cum inſigni pompa in magnam Eccleſiam deportatæ ſunt. Denique ſtatua Theodoſio Imperatori ab Aureliano iterum Præfecto poſita eſt. Hæc Chronicon.

| Per. Jul. ✻☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5123 27. 12. 8 B | 4393 | 410 | 127 | 16 3 | II | 1163 | 1158 |

*Varanes ſolus.* *Innocentii* 9.

Honorio IX. & Varani, quod fuit Tertullo. Idatius. Nam Tertullus umbratilis Coſ. ab Attalo creatus eſt. Oroſius lib. VII. cap. XLII.

Alaricus cùm ſatis commodas pacis conditiones ab Honorio impetrare non poſſet, Romam obſidet, & capit IX. Kal. Sept. ait Theophanes. quam cùm deprædatus eſſet, ſexto die egreſſus eſt, Placidia Imper. ſorore capta, & Ataulpho propinquo ſuo uxore tradita. Marcellinus.

Zoſimus



Zoſimus refert Alarici juſſu Senatum Attalum Præf. Urbi Imperatorem creaſſe; qui militiæ duces Alaricum, & Valentem fecit. Cúmque Alaricus ſuaderet, ut adverſus Heraclianum in Africam mitteret exercitum, non paruit, vatibus confiſus, & contra Honorium perrexit. qui territus Imperii communionem obtulit. Tandem Alaricus Attalum in ordinem redegit, & pacem cum Honorio facere conatus, Saro Hunnorum duce in ipſum irruente Romam aggreſſus, ea potitus eſt. dato prius præcepto, ut ſi quis ad baſilicas, præcipuéque Apoſtolorum Petri & Pauli confugiſſet, ab ejus ſanguine temperarent. Oroſius VII. cap. XXXIX. qui id anno U. C. MCLXIV. contigiſſe refert; & tunc Gallam Placidiam Theodoſii filiam, Arcadii & Honorii ſororem ab Ataulpho Alarici propinquo captam, & in uxorem aſſumptam.

Iſidorus in Chron. Gotthorum ſignificat æra CCCCXLVII. (Is eſt annus Chriſti CCCCIX.) Alaricum urbem occupaſſe. Idatius item captam refert æra CCCCXLVII. eodem ſcilicet quo Iſidorus anno, Proſper Flavio Varrone, & Tertullo Coſſ. id eſt hoc anno, & poſteriore quàm Hiſpaniæ à Wandalis occupatæ. Idem habet & Caſſiodorus.

Alaricum eodem anno, quo Urbe potitus eſt, mortuum, ſcribit Idatius. Triduo poſt urbem captam, ait Zoſimus, profectus eſt Rhegium, inde trajecturus in Siciliam, & Africam. Sed navibus tempeſtate disjectis, ibi morbo periit: & in flumine Baſento ſepultus eſt: eique ſubſtitutus Athaulfus affinis, qui Romam rediens denuò populatus eſt, & Placidiam abduxit, quam apud Forum Cornelii duxit uxorem. Ex tanto naufragio permulti in Orientem, atque Africam fugerunt. Proba, cum Juliana filia, ac Demetriade Julianæ filia in Africam receſſit. quæ ab Heracliano Comite multis injuriis affectæ ſunt. Hieron. Epiſt. VIII.

SS. Marcella & Principia à barbaris ad S. Petri baſilicam deductæ & liberatæ ſunt. Hier. Epiſt. CLIV. Illa verò, ut & Pammachius hoc anno mortui ſunt. Id. Ep. XVI.

Rufinus Aquileienſis patria, quæ à barbaris direpta fuerat, profugus in Sicilia moritur. Hier. Præf. in Ezech.

Syneſius patria Cyrenenſis Philoſophus inſignis Ptolemaïdis Epiſcopus ordinatur à Theophilo: ut ex ejus Epiſtola LXVI. colligitur. quæ tertio anno data eſt, quàm pax inter Theophilum, & Joannis Chryſoſtomi fautores ſancita fuerat.

| Per. Jul. ✻☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5124 28. 13. 9 A | 4394 | 411 | 128 | 17 4 | III | 1164 | 1159 |

*Theodoſius* IV. *Innocentii* 10.

Theodoſius decennalia, Honorius Romæ vicennalia dederunt. His Coſſ. Conſtantini tyranni caput in conto allatum XIV. Kal. Octob. Idatius. Conſtantinus comes ab Honorio miſſus Conſtantinum Imp. apud Arelatum clauſit, cepit, occidit. Gerontius Conſtantem Viennæ interfecit, ejúſque loco Maximum ſubſtituit. Gerontius à militibus ſuis occiſus eſt. Maximus exutus purpura, deſtitutus à militibus in Hiſpaniam abiit, & inter barbaros vixit. Zoſim. lib. VI. Marcellinus.

Honorius Marcellinum Tribunum in Africam anno ſuperiore miſerat ad pacificandam Eccleſiam. Hoc verò anno coram eo Collatione habita repreſſi ſunt Donatiſtæ. Exſtant Acta Collationis.

Eodem anno Antiochus Perſa ab Iſdegerde ad tutelam Theodoſii miſſus, in ordinem redactus, & Pulcheria Auguſta ſola imperium adminiſtravit. Theophanes. Syneſius concilio coacto Andronicum Pentapolitanæ provinciæ Præfectum à communione ſegregat. qui pœnitens poſtea veniam meruit. Syneſ. Ep. LVIII.

Idatius in Chron. refert barbaros, qui ſe in Hiſpaniam infuderant, ſorte ad habitandum provincias inter ſe diviſiſſe. Gallæciam Vandali occupant, & Suevi. Alani Luſitaniam, & Carthaginienſem provincias. Wandali cognomine Silingi Bæticam. Hiſpani per civitates, & caſtella reſidui barbaris ſeſe ſubjiciunt.

| Per. Jul. ✻☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5125 1. 14. 10 GF | 4395 | 412 | 129 | 18 5 | IV | 1165 | 1160 Maii 12 |

*Honorius Aug.* IX. *Innocentii*
*Theodoſius Aug.* V. 11.

His Coſſ. occiſi ſunt Jovinus, Sebaſtianus fratres Narbonæ in Gallia. Heraclianus in Africa tyrannidem arripuit. Attalus in mari captus, & Honorio exhibitus truncata manu vitæ relinquitur. Marcell. Idatius. Gotthi rege Athaulpho Gallias ingreſſi. Proſper.

Eodem tempore Heros vir ſanctiſſimus, B. Martini diſcipulus quum Arelatenſi oppido Epiſcopus præſideret, à civibus inſons pulſus eſt, inque ejus locum Patroclus ordinatur familiaris Conſtantii Magiſtri militum, cujus per ipſum gratia quærebatur, eáque res inter Epiſcopos regionis illius magnarum diſcordiarum materia fuit. Proſper.

| Per. Jul. ✻ ⊙ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |

Hoc anno moritur Theophilus xv. Kal. Novem. Poſt triduum ſuffectus eſt ei Cyrillus.

Atticus & Cyrillus Chryſoſtomi nomen in diptycha referunt. Theophanes mortem Theophili malè ad annum VII. Theodoſii refert.

Honorius Donatiſtas poſt Collationem pervicaces diverſis pœnis mulctavit. Eccleſias, earúmque bona Catholicis reſtitui juſſit: Laïcos pecuniam pendere: Clericos illorum exilio affici. L. LI. Cod. Theod. de Hæret. Marcellinum Comitem S. Auguſt. exoravit, ut iiſdem furentibus, ac cædis convictis parceret. Ep. CLXIX.

Cirtæ in Numidia Concilium habitum Junio menſe adverſus Donatiſtas.

Cœleſtius Pelagii diſcipulus à Paulino Diacono Pelagianæ hæreſis convictus Carthagine in Synodo damnatus eſt, ut ex Concil. Carthag. A. CCCCXVI. celebrato, & Epiſt. Aug. XC. colligitur. Cœleſtius damnatus Innocentium Rom. Pont. appellat.

Jovinianus hæreticus in inſulam Boam relegatur. L. LIII. Cod. Theod. de Hæret.

| Per. Jul. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| 5126<br>2. 15. 11<br>E | 4396 | 413 | 130 | 19<br>6 | Olymp.<br>298 | 1166 | 1161 |

*Lucius ſolus.* *Innocentii* 12.

Proſper ait collegam illius Heraclianum ob res novas in Africa cæſum fuiſſe. Hoc igitur anno Heraclianus tyrannus occiditur, non antecedente. Qui cum DCC. navium claſſe, ac tribus militum millibus ad Urbem tendens occurſu Marini comitis ad Utriculum ſuperatus, & in fugam verſus, arrepta nave ſolus Carthaginem rediit. ubi in æde Memoriæ per Honorium percuſſoribus miſſis occiditur. Idatius, & Marcellinus Comes. Miſſus deinde eſt ad ordinandam provinciam Marinus: cujus juſſu ſubinde Marcellinus Tribunus, qui pro Catholica fide ſtrenuè ſe in Africa geſſerat, Donatiſtarum inſidiis interfectus eſt. Oroſius VII, cap. XLII. Hujus tamquam Martyris memoria celebratur in Eccleſia VIII. Id. Apr.

Burgundiones Germaniæ populi partem Galliæ Rheno propinquam obtinuerunt. Proſper.

Pelagius Brito dogma nominis ſui, Cœleſtio & Juliano adjutoribus erexit. Proſper.

| Per. Jul. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| 5127<br>3. 16. 12<br>D | 4397 | 414 | 131 | 20<br>7 | II | 1167 | 1162 |

*Conſtantius.* *Innocentii*
*Conſtans.* 13.

Pulcheria Theodoſii ſoror Auguſta appellata eſt. Marcell. Chron. Alexand. IV. Non. Jul.

Conſtantius comes apud Arelatum Galliæ urbem conſiſtens, Gotthos Narbona expulit, atque abire in Hiſpaniam coëgit, interdicto navium omni commeatu, & peregrinorum uſu commerciorum. Erat tum rex Athaulphus Alarici ſucceſſor, & Placidiæ conjux. Is cùm initio decreviſſet obliterato Romano nomine, Romanum omne ſolum Gotthorum imperium & facere, & vocare, ut eſſet Gotthia, quod Romania fuiſſet, & Athaulphus idem quod Cæſar Auguſtus: ubi multa experientia probavit, neque Gotthos legibus parere poſſe, neque Reip. interdici leges oportere, elegit ſaltem, ut ſibi gloriam de reſtituto Gotthorum viribus Romano imperio quæreret. Ob hoc bello abſtinuit, præcipuè Placidiæ uxoris ſuæ perſuaſu, & conſilio. Oroſ. VII, cap. XLIII.

Hoc anno Gotthorum claſſis tranſitum in Africam moliens in Gaditano freto tempeſtate correpta periit. Oroſius.

Attalus Gotthorum conſilio, & præſidio tyrannidem ſumit in Galliis.

Honorius Donatiſtas nova ſanctione percellit x. Kal. Jul. Tum Acta contra Donatiſtas ſub Marcellino Trib. ſpectabilis memoriæ rata eſſe voluit. L. LIV, & LV. Cod. Theod. de Hæret.

Ad illius executionem decreti Dulcitium Trib. ac Notarium miſit. ad quem S. Aug. ſcripſit.

| Per. Jul. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| 5128<br>4. 17. 13<br>C | 4398 | 415 | 132 | 21<br>8 | III | 1168 | 1163 |

*Honorius* X. *Innocentii*
*Theodoſius* VI. 14.

Attalus à Gotthis ad Hiſpanias migrantibus neglectus, & præſidio carens capitur, & Conſtantio Patricio vivus offertur. Athaulfus à quodam ſuorum vulneratus interit; regnúmque ejus Vallia invaſit. Proſper. At Marcellinus hoc anno ſuperiori tribuit. Nos Proſpero magis aſſentimur. Vide Oroſium, qui ait anno MCLXVIII. ab U. C. Conſtantium Comitem apud Arelatum conſiſtentem Gotthos exegiſſe Narbona, & in Hiſpanias compuliſſe, ac Valliam Placidiam reddidiſſe. quod anno ſequenti Proſper reddit.

Porrò Vallia adverſus Alanos, & Wandalos Silingos bellum capeſſit. Idat. Chron. Alex. ait hoc anno Theodoſium Aug. Κυινκεννάλια conjugis Honorii III. Kal. Aug. feria VI. Item VIII. Kal. Oct. feria VI. nunciatam eſſe mortem Athaulphi ab Honorio. Hæc competunt huic anno, quo littera fuit C. Proinde legendum Κυινδεκεννάλια. Nam Quindecennalia dedit Theodoſius, qui natus anno CCCCI, anno CCCCII, quarto Eid. Jan. Auguſtus renunciatus eſt. Itaque quindecennalia dedit, ineunte anno XV. Addit idem, celebrata Encænia magnæ Eccleſiæ VI. Eid. Oct. Dominica. Tum reliquias Joſephi filii Jacobi, & Zachariæ patris Joannis VI. Non. Sept. feria VII. illatas Conſtantinop. & Moſis Epiſcopi Antaradi καθεζομένων αὐτῶν ἐν βυρριχαλίοις in burrichis, id eſt jumentis. Mendoſum eſt πρὸ ἓξ Νωνῶν Σεπτεμβρίων. Neque enim ſex nonas habet.



Hoc anno inſtaurata eſt Eccleſia Conſtantinopolitana dudum igni cremata, dedicatáque eſt. Lucianus presbyter vir ſanctus ex revelatione S. Stephani reliquias invenit, & ad omnes Eccleſias ſcripſit. Marcell. Exſtat Epiſtola Luciani apud Sur. III. Aug.

Ex hac Epiſtola liquet primum Concilium (qui Joannem Hieroſolymitanum interfuiſſe dicit) contra Pelagium Dioſpoli in Palæſtina celebratum, in quo Pelagius errores ſuos retractavit, & abſolutus eſt fuco facto judicibus. Aug. II. Retract. cap. XLVII, & I. con. Jul. cap. V.

Eodem anno Alexandriæ Judæi Chriſtianos multos occiderunt noctu, falſo rumore incenſæ Eccleſiæ ad reſtinguendum excitos. Ideo Alexandria pulſi ſunt à Cyrillo. Oreſtes quoque Præf. à Monachis laceſſitus eſt. Tum Hypatia Theonis Philoſophi filia ab Alexandrinis membratim conciſa, quaſi ſimultates inter Cyrillum, & Oreſtem aleret. Socrates L. VII, cap. XIII, XIV. in cujus fine ait hæc accidiſſe Honorio x. Coſ. menſe Martio, νηστειῶν ἰστῶν.

Theophanes refert Iſdegerdem Maruthæ Meſopotamiæ Epiſcopi ſanctitate, & miraculis impulſum penè Chriſtianum eſſe factum; ſed eo mortuo, cùm Abdaates Epiſcopus Perſarum præpoſtero zelo templum ignis incendiſſet, gravem ortam perſecutionem ad annos V.

| Per. Jul. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
| --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- | --- |
| 5129<br>5. 18. 14<br>BA | 4399 | 416 | 133 | 22<br>9 | IV | 1169 | 1164<br>Maii 11 |

*Theodoſius* VII. *Innocentii*
*Palladius.* 15.

Placidiam Theodoſii Imperat. filiam, quam Romæ Gotthi ceperant, Vallia pacem Honorii expetens reddidit, ejúſque nuptias Conſtantius promeretur. Proſper. Oroſius ait Valliam cum Romanis pactum iniiſſe. *Tum ceteri*, inquit, *Alanorum*, *Wandalorum*, *Suevorúmque reges eodem placito depacti ſunt*, *mandantes Imperat. Honorio: Tu cum omnibus pacem habe*, *omniúmque obſides accipe: nos nobiſcum confligimus*, *nobis perimus*, *tibi vincimus. Itaque nunc quotidie apud Hiſpanias geri bella gentium*, *& agi ſtrages*, *ex alterutro barbarorum crebris*, *certiſque nunciis diſcimus.*

Conſtantius Fredibalum Wandalorum regem ſine certamine ingenioſè captum ad Honorium deſtinat. Idatius. Marcellinus. Oroſius Presbyter Hiſpanici generis ſeptem libros hiſtoriarum deſcripſit. Idem ab Auguſtino miſſus ad Hieronymum reliquias B. Stephani tunc nuper inventas primus intulit Occidenti. Chron. Alex. refert, ex porphyretica columna, in qua ſtabat Conſtantinus, avulſum lapidem v. Kal. Apr. feria III. Celebrati ſunt ludi ob victum Attalum IV. Kal. Jul.

Theodoſius ex Heraclea Conſtantinop. veniens auream coronam ab Urſo Urbis Præf. & Senatu accipit Prid. Kal. Octob. Sabbato. Chron. Alex.

Hoc anno cùm Africani Patres litteras ab Oroſio allatas ab Herote, & Lazaro Gallicanis Epiſcopis accepiſſent, de erroribus Pelagianis, in Synodo LXVII. Epiſcoporum damnarunt eoſdem errores, & ad Innocentium Synodalem dederunt, rogantes ut Apoſtolica auctoritate & ipſe damnaret. Exſtat Epiſtola Tom. I. Concil.

Eodem anno celebratur alia Synodus Milevi in Numidia, præſide Silvano Numidiæ primate, in qua Pelagiani erroris capita damnantur. Sed in inſcriptione Synodi error eſt, dum Coſſ. Arcadio & Honorio notatur, nempe A. CCCCII. Atqui nondum Pelagii hæreſis erat audita. Deinde poſt abſolutum in Palæſtina Pelagium eſt ſcripta Synodica. Ad hæc Innocentius reſcripſit anno ſequenti Coſſ. Honorio XI, & Conſtantio II. Eſt ejus Epiſt. XXIV.

Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus obiit. cui ſuffectus eſt Praylius. Nicephorus Chron.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5130<br>6. 19. 15<br>G | 4400 | 417 | 134 | 23<br>10 | Olymp. 299 | 1170 | 1165 |

*Honorius* XI. *Innoc entii* XLI. *Pont.*
*Conſtantius* II. 16. *Zoſimus* I.

Innocentius hoc a no Synodicæ Milevitani Concilii reſpondet. Eſt Epiſtola Innoc. XXIV, cui ſubſcribitur VI. Kal. Febr.

Moritur idem Papa v. Kal. Aug. cùm ſediſſet annos XV, M. II, dies XX. Poſt viginti dies creatus eſt Zoſimus Græcus. Errat Proſper, qui anno ſuperiore mortuum ſcribit Innocentium. Meliùs verò Marcellinus. Idem Marcell. *Tenebræ*, inquit, *in die factæ ſunt. Terræ motus ingens* XII. *Kal. Maias, Paraſceve magna.* Chron. Alex. Marcellinus ait Cyberam Aſiæ civitatem, & aliquanta prædia demerſa. Quòd hîc Solis defectio à Marcellino ſignificari videtur; ea nulla fuit hoc anno. Nam ſi contigiſſet aliqua, incidiſſet in Februarii 2, fer. 6. aut in Julii 29, fer. 1. At neque illo tempore accidit: quia noctu commiſſum eſt Novilunium. neque Julio menſe: quia latitudo auſtralis fuit; quam parallaxis auxit.

Cœleſtius Pelagii diſcipulus Romam ad Zoſimum venit, & callida diſſimulatione innocens judicatur. Scripſit Zoſimus ad Africanos, ut ſi quis accuſare vellet, Romam veniret. Quinetiam reprehendit, quod Heroti & Lazaro improbis viris temerè credidiſſent, qui ſe Epiſcopatu propria abdicavêre ſententia. Verùm Zoſimus deceptus eſt. Nam de Herote vide quæ anno CCCCXII. ex Proſpero ſcripſimus.

Similiter Pelagius libellum obtulit, & innocens pronunciatus eſt. idque Zoſimus Africanis Epiſtola ſua ſignificavit, in qua multa dicit in Lazarum, & Herotem. illum accuſatorem S. Britii Turonenſis Epiſcopi à Proculo Maſſilienſi ut calumniatorem damnatum in concilio Taurinenſi: ab eodem ſacerdotem deinde factum. *Fit*, inquit, *tyrannici judicii defenſor civitatis Aquenſium.* & neſcio quid de ſede occupata innocentis Epiſcopi cæſi: ac tyranno occiſo ſponte ſe exuiſſe dicit. Idem autem Zoſimus Africanos hortatus eſt, ut ſi quid adverſus Pelagium haberent, Romam adirent.

*Vandali Silingi in Bætica per Walliam regem omnes exſtincti.* Idatius. Idem refert Alanos, qui Vandalis & Suevis dominabantur, à Gotthis adeo cæſos eſſe, ut exſtincto Atace rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant, abolito regni nomine Vandalis, qui in Gallatia reſederant, ſe ſubjecerint.

Hoc anno Paſcha non ritè ab Occidentalibus celebratum eſt XXV. Martii, menſe ultimo. At Alexandrini Aprilis XXII. ritè peregerunt. Paſchaſinus Epiſt. ad S. Leonem. Vide lib. II, cap. LXV.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5131<br>7. 1. 1<br>F | 4401 | 418 | 135 | 24<br>11 | II | 1171 | 1166 |

*Coſſ. Honorius* XII. *Zoſimi* XLIII. *Pontifex*
*Theodoſius* VIII. 2. *Bonifacius* I.

Solis defectio facta eſt, XIV. Kal. Aug. feria VI, hora VIII, Chron. Alex. revera defecit Sol. Aug. XIX, feria 6, hor. 12, 25′, 52″. à media nocte Romæ digitos XI ½, cujus & Idatius in Chron. & Marcellinus mentionem faciunt.

*Hoc tempore Conſtantius ſervus Chriſti ex vicario Romæ habitans, & pro gratia Dei devotiſſimè Pelagianis reſiſtens, factione eorumdem multa pertulit, quæ illum ſanctis Confeſſoribus ſociaverunt.* Proſper.

Idem: *Concilio apud Carthaginem habito* CCXIV. *Epiſcoporum, ad Papam Zoſimum Synodalia decreta perlata: quibus probatis, per totum mundum hæreſis Pelagiana damnata eſt.*

Valentinianus junior Ravennæ naſcitur Patre Conſtantio, & matre Placidia VI. Non. Jul. Proſper. At Marcellinus id anno ſequente retulit, & V. Nonas. Quomodo verò Cœleſtius, cùm Epiſtola illius à Zoſimo eſſet examinata, &, quòd in ea corrigi ſe paratum eſſe profeſſus eſſet, pro Catholica habita fuiſſet, poſteà ab Africanis fraude detecta damnatus ſit unà cum Pelagio, docet Aug. lib. II. contra duas Epiſt. Pelag. ad Bonif. cap. III, & Ep. CLVII. nec non Imper. Honorii reſcriptum, quod eſt apud Baron. N. XX.

Teleptenſe Concilium hoc anno celebratum in provincia Byzacena.

Apiarius presbyter ob ſcelera ſua ab Urbano Siccenſi Epiſcopo depoſitus ad Zoſimum provocavit.

Zoſimus legatos in Africam miſit Fauſtum Epiſcopum Potentiæ, Philippum, atque Aſellum presbyteros. qui cum Africanis Epiſcopis de IV. capitibus agerent. quorum primum fuit de appellationibus Epiſcoporum ad

Rom.



Rom. Pont. ex Nicæni auctoritate Concilii. quod Sardicenſis revera eſſe poſtea compertum. Poſtremum de Urbano Siccenſi, quem Apiarius accuſarat, excommunicando. Africani Patres coacta Synodo, lectóque Commonitorio Zoſimi de Canone illo Nicæno, quod eſt de Appellationibus, excipiunt non videri Nicæni eſſe Concilii.

Interim mortuus eſt Zoſimus Papa VII. Kalend. Jan. cùm ſediſſet annum I. M. IV. D. VII. Electus eſt in ejus locum Bonifacius. Sed à Schiſmaticis creatur Eulalius.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5132<br>8. 2. 2<br>E | 4402 | 419 | 136 | 25<br>12 | III | 1172 | 1167 |

*Monaxius.* *Bonifacii*
*Plinta.* 2.

Plintam Comitem in Palæſtina rebellantem occiſum eſſe ſcribit Chron. Alexand.

Multæ Palæſtinæ civitates terræ motu collapſæ. Dominus Jeſus videndum ſe palam ſuper montem Oliveti præbuit. Marcell.

Bonifacius, qui anno ſuperiore IV. Kalend. Jan. electus erat, diro ſchiſmate vexatur, electo Eulalio, cui Symmachus favebat. Hujus relatione primùm Honorius Bonifacium exagitavit. Poſtea utrumque Ravennam evocavit Honorius, & interim Spoletinum Epiſcopum Achilleum ſacra Romæ procurare juſſit in Paſchate: atque Epiſcoporum Synodum congregari juſſit. Cùm autem vetuiſſet interim ambos electos Romam accedere, Eulalius furtim venit: & ita cauſa cecidit. Poſtea rogante Bonifacio, decrevit Honorius, ut ſi poſt ejus mortem duo eſſent electi, neuter fieret Pontifex. Ex Cod. Vatic. Baronius. Mortua eſt hoc anno S. Euſtochium S. Paulæ filia poſt obitum Paulæ annis XV. cùm annis XX. cum ea degiſſet.

Conſtantius pacem firmat cum Wallia, data ei ad habitandum Aquitania II. & quibuſdam civitatibus confinium provinciarum. Proſper.

Idatius ſcribit Walliam à Conſtantio revocatum in Galliam ſedes in Aquitanica à Toloſa uſque ad Oceanum accepiſſe. Idem refert inter Gundericum Wandalorum, & Hermericum Suevorum reges certamine orto, Suevos in Nervaſis montibus à Wandalis obſeſſos.

Carthagine Synodus habetur VIII. Kalend. Jun. quæ ſexta numeratur. In ea prolatis Canonibus Nicænis, cùm non eſſet repertus inter eos canon ille de appellationibus, decretum eſt ut Romam, & ad Orientales Eccleſias ad authentica Nicæni Concilii inquirenda legati mitterentur. Huic interfuerunt Epiſcopi numero CCXVII. inque his S. Auguſtinus, & Alypius Tagaſtenſis.

Poſtea cùm tam diuturnæ moræ tæderet Epiſcopos, miſſione pleriſque conceſſa, certi ex omnibus provinciis reſederunt. qui III. Kalend. Jun. iterum convenerunt. quæ VII. Carthag. inſcribitur. Synodica porrò ad Bonifacium miſſa videtur poſt VI. appellatam edita, cui CCXVII. Epiſcopi ſubſcripſerunt.

Interim acceptis ab Oriente litteris, cum Nicænis Canonibus, Africani Patres VI. Kalend. Decembris per Innocentium & Marcellum ſubdiaconos ad Bonifacium omnia deſtinarunt.

Ac videtur Apiarius ille presbyter à legatis Romani Pontif. in integrum reſtitutus, qui poſteà ſub Cœleſtino damnatus eſt. Hæc ex Concil. VI. & VII. Carthag.

Pinianus vir nobiliſſimus cum Melania juniore conjuge ſua per Ægyptum Monachos inviſunt: tùm Hieroſolyma ſecedentes, Pinianus monaſticam vitam ſuſcipit: Melania apud montem Oliveti ſeſe in cellam includit. Pallad. Lauſ. XLIX.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5133<br>9. 3. 3<br>DC | 4403 | 420 | 137 | 26<br>13 | IV | 1173 | 1168<br>Maii 10 |

*Theodoſius* IX. *Bonifacii*
*Conſtantius* IV. 3.

Conſtantius à Theodoſio in conſortium regni aſſumitur. Proſper.

Hieronymus moritur anno ætatis ſuæ XCI. prid. Kalend. Octob. Idem. Verùm Baron. A. 372. probat nonniſi 78. circiter annum ætatis Hieronymum attigiſſe.

Cœleſtius Pelagianus Honorii edicto pellitur: ut ex reſcripto Conſtantii Aug. apud Baron. colligitur.

Cœleſtis templum Carthagine, Urſo Tribuno inſiſtente, dirutum eſt. Proſper lib. de Præd. Part. 3. cap. 38.

In Perſide in Chriſtianos perſecutio deſævit. Marcell. Incertum ab Iſdegerde, an à Vararane concitata. Vide Socrat. lib. VII. cap. XVIII. Theodoretus lib. V. cap. XXXIX.

Romani Perſas & Niſiben obſident. Contra quos Vararanes adſcito ſibi Alamundaro Saraceno veniens vincitur. Socrat. lib. VII. cap. XVIII.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|

Leporius Monachus, poſtea Presbyter, præſumens de puritate vitæ, quam proprii arbitrii vi, non Dei gratia conſecutum ſe eſſe credebat, à Gallicanis Epiſcopis admonitus, & in Africa per S. Auguſtinum converſus, edito libello errorem ſuum retractavit. Gennad. de viris Illuſtr.

Hunc Neſtorio novæ hæreſis auctorem fuiſſe teſtatur Caſſianus lib. VII. de Incarn. Verbi.

Honorius reſcripſit contra Clericos, qui extraneas feminas in contubernium adhiberent. L. XLIV. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler.

## FRANCORUM REGNUM.

Pharamundus primus Francorum rex hoc anno cœpit. Proſper in Chron. à Pithœo edito.

Wandali Suevorum obſidione dimiſſa, inſtante Aſterio Hiſpaniarum comite, & ſub ejus vicario Maurocello, relicta Gallæcia ad Bæticam tranſeunt. Idatius.

Idem auctor eſt Conſtantium Imperatorem Ravennæ mortuum in tertio ſuo Conſulatu. At Proſper anno ſequente id refert.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5134 10. 4 4 B | 4404 | 421 | 138 | 27 14 | Olymp. 300 | 1174 | 1169 |

*Euſtathius.* *Bonifacii*
*Agricola.* 4.

Theodoſius Eudociam ducit uxorem. Arcadio patri ſuo in foro ejus ſuper columnam ſtatuam erexit, ac dedicavit. Romani cum Perſis conflixere. Marcell.

Theodoſius reſcripſit Conſtantinopolitani præſulis jura ad Illyricum extendi. L. XLV. Cod. Theod. de Epiſcop.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5135 11. 5. 5 A | 4405 | 422 | 139 | 28 15 | II | 1175 | 1170 |

*Honorius Aug.* XIII. *Bonifacii*
*Theodoſius Aug.* X. 5.

Theodoſius Eudoxiam genuit. Maximus tyrannus & Jovinus ferro victi Tricennalibus Honorii adducti de Hiſpaniis, atque cæſi. Hunni Thraciam vaſtant. Perſæ cum Romanis pacem pepigerunt. Marcell.

Hoc anno exercitus ad Hiſpaniam contra Wandalos miſſus eſt, cui Caſtinus dux fuit. qui Bonifacium inepto, & injurioſo imperio ab expeditionis ſuæ ſocietate avertit. qui in Africam ſe proripuit. Proſper. Fuit autem Bonifacius ille ſocer Sebaſtiani Comitis, & ſub Vandalis confeſſione poſtea clari, ut refert Victor Utic. lib. II. Porro Caſtinus inconſultè contra Wandalos pugnans auxiliarium Gotthorum fraude deceptus, ad Tarraconam victus aufugit. Idatius. Patroclum Arelatenſem Epiſcopum, qui Conſtantii favore, Herote pulſo, Epiſcopatum invaſerat, & Narbonenſis inſuper provinciæ jura ſibi uſurpabat, Bonifacius Papa compreſſit. Epiſt. III.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5136 12. 6. 6 G | 4406 | 423 | 140 | 29 16 | III | 1176 | 1171 |

*Aſclepiodotus.* XLV. *Pontifex*
*Marinianus.* *Cœleſtinus* I.

Placidia Auguſta ab Honorio fratre pulſa cum filiis Valentiniano, & Honorio ad Orientem proficiſcitur.

Bonifacius Papa cùm ſediſſet annos V. minùs menſes II. moritur VIII. Kal. Nov. Poſt IX. dies creatus eſt Cœleſtinus. Longobardorum ſecundus regnat Lamiſſus annis III. Honorius moritur Romæ Auguſti XV. (ut ait Theoph.) & regnum ejus Joannes occupat; connivente, ut putabant, Caſtino Magiſtro militum. Proſper, & Marcell. Joannes iſte Scriba & Notarius fuerat, ut refert Socrates lib. VII. cap. XXIII.

Theodoretus hoc anno Epiſcopus creatur, cùm in Monaſterio primùm degiſſet; tum Antiochiæ populum docuiſſet: ut ex ejus Epiſtola ad S. Leonem, & ex LXXXI. colligitur.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5137 13. 7. 7 FE | 4407 | 424 | 141 | 17 | IV | 1177 | 1172 Ma |

*Caſtinus.* *Cœleſtini* *Theodoſii.*
*Victor.* 2.

*Theodoſius Valentinianum amitæ ſuæ filium Cæſarem facit, & ad recuperandum imperium contra Joannem mittit. qui dum Africam à Bonifacio repoſcit, ad defenſionem ſui infirmior eſt factus.* Proſper. Marcellinus verò. *Placidia mater Valentiniani Auguſta nuncupata eſt. Valentinianus Cæſar creatus Theodoſii Imp. Eudoxiam filiam ſibimet deſponſavit.* Vide & Idatius Chron. qui eodem anno Romæ Valentinianum Auguſtum eſſe factum aſſerit. Caſtinus in Africam fugit ad Bonifacium. ut ex Aug. colligitur Epiſt. X. Append.

Theophanes hoc anno ſcribit Iſdegerde mortuo ſucceſſiſſe Varanem: qui cùm Chriſtianos è Perſide transfugas impetrare non poſſet, bellum Romanis intulit. Contra hunc miſſus Ardaburius. Contigit autem ut injecto pavore, Perſæ Romanos ingruere putantes, ſe



ſe cum armis in Euphratem præcipitaverint, ac CM. perierint.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5138 14 8. 8 D | 4408 | 425 | 142 | 18 1 | Olymp. 301 | 1178 | 1173 |

*Theodoſius.* *Cœleſtini*
*Valentinianus junior.* 3.

Placidia & Valentinianus mira felicitate Joannem opprimunt, & regnum victores recipiunt, data Aëtio venia, quòd Hunni, quos per ipſum Joannes acciverat, ejuſdem ſtudio ad propria reverſi ſunt. Caſtinus in exilium actus eſt, quia videbatur Joannem ſine Comitiva regnum non potuiſſe aſſumere. Valentinianus decreto Theodoſii Auguſtus appellatur. Archillas nobile oppidum Galliarum à Gotthis multa vi oppugnatum eſt; donec imminente Aëtio non impuniti diſcederent. Proſper.

Marcell. ait dolo potiùs Ardaburis, & Aſparis, quàm virtute, Joannem occiſum. Valentinianum autem apud Ravennam factum Imperatorem. quod Hyperberetæo menſe x. Kalend Novembris contigiſſe refert, Chron. Alex. & Socrates lib. VII. cap. XXV. qui cap. XXIII. victi Joannis hiſtoriam ita narrat. Mortuo Honorio Imperatore diu rem diſſimulavit Theodoſius: donec clam exercitum miſit Salonas Dalmatiæ. Interim Joannes primicerius Notariorum tyrannidem arripuit, & Ravennam occupavit. ac legatos ad Theodoſium miſit, allegi in conſortium imperii volens, quos ille miſit in vincula. Interim Ardaburium contra illum deſtinat. qui tempeſtate delatus eſt in illius manus. Sed Angelus ſpecie paſtoris Aſpari filio ejus adſtitit, eúmque Ravennam introduxit per paludem. Nuncius Circenſium tempore ad Theodoſium perfertur.

Rhoilas Scytharum Nomadum dux in Romanos fines irruere parans divinitus reprimitur. Theodor. L. V. cap. XXXVI. Socrates L. VII. cap. XLII.

Atticus mortuus eſt VI. Eid. Oct. morte prædicta. Socrates lib. VII. cap. XXV. Sedit paullò plus XIX. annis.

Valentinianus Eccleſiarum privilegia confirmavit, L. XLVI. Cod. Theod. de Epiſc. & Cler. prid. Non. Jul. Aquileiæ. Idem VIII. Id. Oct. Aquileiæ eadem firmavit, quæ à Joanne tyranno ſublata fuerant. atque inter cetera Clericos vetat indiſcretim ad ſæculares judices deduci, ſed Epiſcopali audientiæ reſervari. L. XLVII. ejuſdem Tit.

Theodoſius Conſtantinopolitanus Scholas, earúmque profeſſores in meliorem formam reſtituit, & his privilegia decernit L. III. Cod. Theod. de ſtud. liber. & L. I. de Prof.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5139 15. 9. 9 C | 4409 | 426 | 143 | 19 2 | II | 1179 | 1174 |

*Theodoſius* XII. *Cœleſtini*
*Valentinianus* II. 4.

Hoc anno Siſinnius Conſtantinopolitanus Epiſcopus factus eſt. Marcell. Socrates ait prid. Kalend. Mart. factum eſſe.

Patroclus Arelatenſis Epiſcopus à Tribuno quodam barbaro multis vulneribus occiditur, impulſu, ut putabant, Felicis Magiſtri militum: cujus inſidiis Titus Diaconus Romæ vir ſanctus obtruncatus eſt. Proſper.

Patroclo ſucceſſit Honoratus ex Lirinenſi Abbate.

Auguſtinus annum agens LXXII. Epiſcopatus XXXII. Eradium presbyterum adjutorem ſibi adlegit. Auguſt. Epiſt. CX.

Idem Proſperi & Hilarii litteris excitatus contra Pelagianos duos edidit libros, de Prædeſt. Sanct. & de bono Perſever.

Gundericus rex Wandalorum capta Hiſpali, cùm impiè elatus manus in Eccleſiam civitatis ipſius extendiſſet, mox Dei judicio dæmone correptus interiit. cui Gaiſericus (is eſt Genſericus) frater ſuccedit in regno. qui, ut ferebant, de fide Catholica in Arianam perfidiam tranſiit. Idatius Chron.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5140 16. 10. 10 B | 4410 | 427 | 144 | 20 3 | III | 1180 | 1175 |

*Hierius.* *Cœleſtini*
*Ardaburius.* 5.

Pannoniæ, quæ per quinquaginta annos ab Hunnis retinebantur, à Romanis receptæ ſunt. Thermæ Theodoſianæ dedicatæ. Marcell. Chronicon Alexand. Thermas olim Conſtantinianas dictas perfeciſſe Hierium V. Non. Octobris ſcribit.

Bonifacio publico nomine bellum infertur ad Felicis arbitrium, ducibus Mavortio, Galbione, & Sinoce. Hujus proditione duo illi cæſi: & Sinocem mox Bonifacius interemit. Sigiſwltus comes bello præfectus eſt contra Bonifacium. Proſper. Miſcella lib. XIV. Aëtium auctorem fraudis illius facit.

Bonifacius cum Sigiſwlto par non eſſet, in Hiſpaniam trajiciens

Per. Jul. ✱ ☉ Ind | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

trajiciens Wandalos, & Alanos in Africam invexit, trifariam partita provincia, & cum illis diſtributa. Miſcella. Vide Auguſt. Epiſt. LXX.

Idatius in Chronico ſcribit Gaiſericum Maio menſe in Mauritaniam transfretaſſe. Qui priuſquam pertranſiret admonitus Hermigarium Suevorum regem vicinas deprædari provincias, recurſu cum aliquantis ſuis facto, prædantem in Luſitania conſequitur: ejúſque copias fundit haud procul Emerita. Fugiens ille in Ana fluvio præcipitatus interiit.

Siſinnius Conſtantinopolitanus Epiſcopus moritur XXIV. Decemb. Socrat. L. VII. cap. XXVIII.

Celebratur Sidæ in Pamphilia Synodus contra Maſſalianos, cui interfuit Siſinnius, & Theodotus Antiochenus; qui hoc anno moritur.

5141 17.11.11 AG | 4411 | 428 | 145 | 21 4 | IV | 1181 | 1176 Maii 5

*Felix.* *Cœleſtinus*
*Taurus.* 6.

Marcellinus. Neſtorius Antiochia natus, Conſtantinopolitanis adnitentibus, Epiſcopus hujus urbis factus eſt (IV. Idus April. ut ait Socrates lib. VI. cap. XXIV.) Beatiſſimi Joannis Epiſcopi apud comitatum cœpit memoria celebrari Septembri menſe, die XXVI. Idem habet Proſper.

Pars Galliarum proxima Rheno, quam Franci poſſidendam occupaverant, Aëtii comitis armis recepta. Proſper.

Bonifacii amici, ait Procopius, cùm Aëtii inſidias Placidiæ renunciaſſent: illa Bonifacio reconciliatur. Qui cum Wandalis reditum perſuadere nequiſſet, cum iis confligens vincitur. Aëtium autem ideo non eſt ulta Placidia: quod inter alia cum Francis ſtrenuè dimicarit.

Hæc Francorum expeditio non eſt illa, cujus meminit Sidonius Paneg. V. ad Majorianum; ut animadvertit P. Jacob. Sirmondus in Notis pag. 200. ſed alia prior eſt ad Rhenum. hæc verò poſterior anno CCCCXLV.

Pharamondo rege mortuo IX. circiter regni anno, ſecundus Francorum rex iniit Clodius. Proſper.

Suevi ſub Hermerico rege Gallæciam deprædantes ab incolis fuſi, profligatíque pacem inſtaurant. Idatius.

5142 18.12.12 F | 4412 | 429 | 146 | 22 5 | Olymp. 302 | 1182 | 1177

*Florentius.* *Cœleſtini*
*Dionyſius.* 7.

Felice ad patriciam dignitatem provecto, Aëtius magiſter militum factus eſt. Agricola Pelagianus Severiani Pelagiani Epiſcopi filius Eccleſias Hiberniæ dogmatis ſui inſimulatione corrupit. Sed actione Palladii Diaconi Papa Cœleſtinus Germanum Antiſiodorenſem Epiſcopum vice ſua mittit, ut deturbatis hæreticis Britannos ad Catholicam fidem dirigit. Proſper.

Marcellinus ait Orthodoxos Macedonianorum Eccleſiam extra muros urbis poſitam abſtuliſſe, quoniam iidem Macedoniani Antoninum Germis Catholicum Epiſcopum interfecerunt.

Proſper de miſſa ab Cœleſtino in Britanniam legatione teſtis eſt lib. cont. Collat. in fine. At Conſtantius in vita Germani ſcribit à Synodo Gallicana miſſum, cum eóque Lupum-Trecenſem. quod & Beda lib. I. Hiſt. Angl. cap. XVII. teſtatur.

S. Germanus in itinere S. Genovefam Deo deſpondit, ac numum cruce ſignatum ei præbuit. Conſtantius in S. Germ. vita.

Neſtorius ſcriptis per Ægyptum, aliáſque provincias miſſis hæreſim ſuam diſſeminavit, duas in Chriſto perſonas aſſeverans. Cœleſtinus his acceptis Cyrillo mandat, ut diligenter de auctore illorum inquireret. Is ad Neſtorium humaniſſimas litteras dedit, quibus arrogantiſſimè ille reſcripſit. Acta Epheſ. Conc.

Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatur mortuo Praylio.

Aëtius comes haud procul Arelate Gotthos devicit, & Anaolfum eorum optimatem capit. Juthungos ſimiliter & Noros debellat. Idatius.

5143 19.13.13 E | 4413 | 430 | 147 | 23 6 | II | 1183 | 1178

*Theodoſius* XIII. *Cœleſtini*
*Valentinianus.* 8.

Marcell. Theodoſius Imper. tricennalia geſſit.

Proſper hoc anno mortuum ſcribit Auguſtinum, cùm Juliano Pelagiano reſponderet, V. Kal. Septemb. Agebat ætatis annum LXXVI. Epiſcopatus XXXVI.

Marcellinus hoc anno dicit Cœleſtinum per Epiſtolam Neſtorio x. dierum inducias dediſſe, & à Synodo Epheſi damnatum. Sed id anno ſequenti contigit. Hoc quidem ipſo Cœleſtinus acceptis Cyrilli litteris ſuam illi vicem mandavit. qui coacta Synodo quatuor legatos decrevit Conſtan-



Per. Jul. ✱ ☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab.

tinopolin, qui Cœleſtini litteras ad Neſtorium deferrent, quibus x. dierum induciæ ad reſipiſcendum dabantur. Adjecit & confeſſionem fidei cum XII. anathematiſmis, quibus Neſtorianæ hæreſis ſumma condemnabatur. At Neſtorius Theodoſii gratia fretus hæc omnia inſuper habuit, & in Cyrillum ipſum Imperat. commovit.

Aëtius denuo Noros rebellantes edomat. Suevi initam cum Gallæcis pacem turbant. Unde ad Aëtium legationem ſuſcipere cogitur Idatius Epiſcopus. Idat. Chron.

5144 10.14.14 D | 4414 | 431 | 148 | 24 7 | III | 1184 | 1179

*Antiochus.* *Cœleſtini*
*Baſſus.* 9.

## TERTIA SYNODUS EPHESINA OECUMENICA.

Hoc anno Concilium Epheſinum contra Neſtorium celebratur. Cœleſtinus ſuas vices Cyrillo delegavit. Miſit autem legatos Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum. Arcadium ſuſpicatur Baron. Gallum fuiſſe, qui ſubſcriptus eſt Concilio Regienſi poſt annos VIII. Projectum verò Forocornelienſem. de quo Petrus Chryſol. Ser. CLXI.

Interfuerunt ſupra CC. Epiſcopos. Theodoſius præpoſuit Candidianum Comitem Domeſticorum Neſtorianum, ut tranquillitati proſpiceret: non ut quæſtionibus & controverſiis immiſceret ſeſe, ut Theodoſius ipſe in Sacra dicit. necnon Irenæum. Exſpectatus eſt Joannes Antiochenus. Sed cùm ad condictum non adeſſet, Synodus inchoatur XXII. die Junii. Citatus ter Neſtorius non adfuit. Ideo exauctoratus eſt.

Poſt hæc Joannes Antiochenus cum ſuis advenit die V. à Neſtorii damnatione: id eſt XXVII. Junii. qui ſtatim Cyrillum & Memnonem, in diverſorio, coacto Conciliabulo, damnavit, & acta Concilii reſcidit. Comites interceptis omnibus Catholicorum litteris, quæ libitum fuit ad Imperat. ſcripſerunt: ac diu admodum Orthodoxi afflictati ſunt; ipſe etiam Cyrillus in carcerem conjectus.

Damnata in eodem Concilio Pelagiana hæreſis Julii XXIII. Conatus eſt etiam Juvenalis Hieroſol. obrepere Synodo, & impetrare ut Hieroſolyma Palæſtinæ principatum haberet. de qua re Cyrillus ad Leonem queſtus eſt. ut Leo docet Ep. LXI.

Tandem per fidum hominem habitu peregrini Conſtantinopolim deſtinatum, litteras in arundine incluſas ei dantes, certiorem Imperat. de omnibus fecerunt. Ita annitentibus Monachis, præſertim S. Dalmatio, Imperat. Synodum probavit. Ejectus Neſtorius. ſubrogatus Maximianus. Pulcheria multùm ad id contulit. quæ & Eccleſiam S. Mariæ in Blachernis exſtruxit. Acta Eph.

Moritur hoc anno S. Paulinus x. Kalend. Jul. ætatis LXXVIII. qui quòd Vandalorum regis genero ſerviiſſe dicatur, non poteſt de Geiſerico accipi, ſed de Guntharo ejus fratre, qui ex Hiſpania & ipſe tranſiit in Africam.

Theophanes ait hoc tempore Nonnum Edeſſæ Epiſcopum fuiſſe: qui Margaretam Antiochenam meretricem Deo conſecravit, & Pelagiam nominavit.

Aëtius Francis prælio ſuperatis, & ad pacem ſuſceptis, Cenſorium comitem legatum ad Suevos mittit, quibus cum Idatius revertitur. Chron. Idatii.

5145 11.15.15 CB | 4415 | 432 | 149 | 25 8 | IV | 1185 | 1180 Maii 7

*Valerius.* XLVI. *Pontifex*
*Aëtius.* *Sixtus* I.

Cœleſtinus Papa moritur VIII. Eid. Apr. cùm ſediſſet annos VIII, M. V, D. III. Succeſſit ei Xyſtus. Proſper, & Marcellinus. Hic eſt ille, qui presbyter Pelagianam hæreſin oppugnarat. Aug. Ep. CV. Scripſit ad Neſtorium Antiochiam: ubi in Monaſterio S. Euprepii verſabatur; ut reſipiſceret. Theodoſius Imp. in Joanne Antioch. cum Cyrillo reconciliando laborat: ídque per Simeonem Styliten egit.

Tandem Orientales Paulum Emeſenum Epiſcopum Alexandriam deſtinant: qui fruſtrà ab Cyrillo exprimere tentavit, ut damnaret anathematiſmos ſuos. ac denique cum eo conſenſit. Acta Eph.

Hoc anno Bonifacius ab Africa ad Urbem veniens magiſter militum factus eſt. Qui cùm Aëtium ſuperaſſet, paullò pòſt morbo periit. Ita Proſper. At Marcellinus ait ipſum ab Aëtio vulneratum, tertio menſe deceſſiſſe,

 & Pela-

& Pelagiæ uxori mandaſſe, ut ne alteri, quàm Aëtio nuberet. Addit Idatius Sebaſtianum generum illi ſubſtitutum per Aëtium de palatio pulſum fuiſſe.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5146 22. 16. 1 A | 4416 | 433 | 150 | 26 9 | Olymp. 303 | 1186 | 1181 |

*Theodoſius* XIV. — *Sixti*
*Maximus.* — 2.

Maxima urbis regiæ pars Septentrionalis per tres dies continuos incenſa, collapſáque pòſt menſe Auguſto. Proſper & Marcell. Socrates lib. VII, cap. XXXVIII. Chron. Alex. ait menſe Loo A. D. XII. Kal. Sept. contigiſſe, & ἀπὸ νεωρίου cœpiſſe, & horrea concremaſſe.

Multi ſancti contra Cyrillum moventur, quòd cum Orientalibus conſenſiſſet, & duas naturas admiſiſſet. Liberatus cap. VII.

Sixtus monitu S. Apollinaris, cùm Ravennates decretum electionis Ravennatis Epiſcopi Romam attuliſſent, Petrum diaconum Forocornelienſem eligit, cognomento Chryſologum. Rubeus in Hiſt. Ravenn.

S. Proſper contra Collatorem ſcripſit.

Sixtus Papa à Baſſo Exconſule & Mariniano accuſatus Valentiniano præſente, his Coſſ. in plena Synodo abſolvitur: ac Baſſus proſcribitur. Exſtant Acta Conc. Rom.

Cenſorio Comite regreſſo, Hermericus Suevorum rex cum Gallæcis pacem inſtaurat. Idat.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5147 23. 17. 2 G | 4417 | 434 | 151 | 27 10 | II | 1187 | 1182 |

*Ariobindus.* — *Sixti*
*Aſpar.* — 3.

Honoria Valentiniani Imper. ſoror ab Eugenio procuratore ſuo ſtuprata, palatióque pulſa, & Theodoſio tranſmiſſa, Attilam contra Occidentalem remp. concitavit.

Maximiano Epiſcopo Conſtantinop. mortuo ſubrogatur Proclus. Socrates lib. VII, cap. XXXIX.

Melania junior à Voluſiano patruo Conſtantinopolin accita ipſum convertit ad fidem. Sur. Jan. 31.

Vincentius Lirinenſis hoc anno ſcripſit libellum ſuum triennio poſt Epheſinam Synodum.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5148 24. 18. 3 F | 4418 | 435 | 152 | 28 11 | III | 1188 | 1183 |

*Theodoſius* XV. — *Sixti*
*Valentinianus* IV. — 4.

Pax facta cum Wandalis, data eis ad habitandum per triennium in loco Africæ portione Hippone, III. Idus Februarii. Eodem tempore Guadicarium Burgundionum regem intra Gallias habitantem Aëtius bello obtinuit, pacémque ei ſupplicanti dedit, qua non diu potitus eſt. ſiquidem illum Hunni cum populo ſuo, atque ſtirpe deleverunt. Proſper.

Forum Theodoſii in loco, qui Helianæ dicitur, ædificatum eſt. Sebaſtianus Bonifacii quondam patricii gener urbe Auguſta fugit, atque in Africa interemptus eſt. Marcellinus.

Paulus Diac. L. XIV. ſcribit per Trigetium datam Vandalis Africæ partem.

Baronius hoc anno refert S. Germani geſta in cauſa Gallorum Aremoricorum: quibus infenſus Aëtius, quòd defeciſſent, Alemannis illos ulciſcendos dediderat.

Codex Theodoſ. hoc anno promulgatur XV. Kalend. Mart. Libri Neſtorii à Theodoſio interdicti, & incendio damnati. L. ult. Cod. Theod. de Hæreticis. Neſtoriani Diodori Tarſenſis, & Theodori Mopſueſteni, qui duas naturas confitebantur, volumina publicant, ut Neſtorium non nova docuiſſe monſtrarent; eáque in Syrorum & Armeniorum linguam tranſtulerant. Acacius verò Melitinenſis, & Rabula Edeſſæ Epiſcopi Armeniæ Epiſcopis ſcripſerunt, ne Theodori libros admitterent. At Epiſcopi Armeni legatos Leontium, & Aberium ad Proclum Conſtant. miſerunt. cum uno volumine Mopſueſteni. Proclus ad eos reſcripſit; ac tunc poſuit, unum de Trinitate incarnatum, ad Neſtorianorum verſutias evitandas. quem librum Joanni Antiocheno per Theodorum diaconum direxit. Joannes cum ſuis probavit. At Baſilius quidam diaconus Cyrillo Tomum Procli, & Armeniorum libellos obtulit. Cyrillus IV. libros fertur ſcripſiſſe, tres contra Diodorum, & Theodorum, quaſi Neſtorianos, & 1. de Incarnatione, in quibus Felicis Papæ, & Dionyſii Areopagitæ Corinthiorum Epiſcopi teſtimoniis utitur. In his Theodori dicta laudantur. At Catholici Acephalis reſponderunt, non illos eſſe Cyrilli. Baſilius librum edidit, quo Theodori & Diodori blaſphemias vitandas docuit. Poſt hæc Armenii Monachi Conſtantinop. veniunt, & ubique ambos illos damnandos eſſe ſuaſerunt. Joannes Antiochenus, Synodo congregata, tres pro Theodoro dictavit epiſtolas: 1. Theodoſio; 2. Cyrillo, 3. Proclo. Imperator Joanni ſacram direxit,



direxit, & Theodorum approbavit. Idem fecit & Cyrillus. At Proclo interroganti cujus eſſent capitula, quæ Theodoro tribuerentur, Joannes ſe neſcire reſpondit. Hæc totidem ferè verbis Liberatus cap. x. quæ ad trium Capitulorum notitiam neceſſaria ſunt.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5149 25. 19. 4 ED | 4419 | 436 | 153 | 29 12 | IV | 1189 | 1184 Maii 6. |

*Iſidorus.* — *Sixti*
*Senator.* — 5.

Gotthi pacis placita perturbant, & pleraque municipia ſedibus vicina ſuis occupant, Narbonenſi oppido maximè infeſti. quod cùm diu obſidione & fame laboraret, per Litorium comitem ab utroque periculo liberatus eſt. Proſper. Theodoricus enim rex Narbonam obſedit. Idatius ab Aëtio liberatam ſcribit: & ab eodem cæſa Burgundionum XX. M.

Neſtorius edicto Theodoſii in Oaſim deportatur. Acta Eph. Syn. Evagrius.

Joanne Antiocheno, cùm ſediſſet annos XIII. mortuo, creatus eſt Domnus Euthymii olim alumnus, & deſertor. Cyrillus in Euthymio.

Aëtius dux utriuſque militiæ Patricius appellatur. Hic Doroſtoro in Mœſia oriundus, patre Gaudentio, ſtrenuus, ac fortis Romanum imperium acerrimè propugnavit. Jornandes.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5150 26. 1. 5 C | 4420 | 437 | 154 | 30 13 | Olymp. 304 | 1190 | 1185 |

*Aëtius* II. — *Sixti*
*Sigiſvuldus.* — 6.

Valentinianus ut Eudoxiam Theodoſii filiam duceret, quam dudum deſponſaverat, Conſtantinopolim venit, eáque ſibi nupta apud Theſſalonicam Italiam repetens hiemavit. Marcell. Proſper.

Chron. Alexandr. Valentinianum ait menſe Octobri, XII. Kal. Novemb. Conſtantinopolin veniſſe, ac nuptias celebraſſe IV. Kal. Novembris. At Socrates id factum ait anno ſuperiore L. VII. cap. XLIII. & urbem Theſſalonicam ad nuptias delectam.

Bellum adverſus Gotthos Hunnis auxiliaribus geritur. Geiſericus rex Vandalorum volens Catholicam fidem ſubvertere, quoſdam Epiſcopos civitatibus expulit. Eodem anno piraticam barbarorum fœderatorum deſertores exercuerunt.

Per idem tempus IV. Hiſpani, Arcadius, Probus, Paſchaſius, & Eutychius Geiſerico gratiſſimi, cùm ad ejurandam fidem adigi non poſſent, interempti ſunt. Puer autem Paulillus Paſchaſii, & Eutychii frater, diu fuſtibus cæſus, ad extremum ſervitute damnatur. Proſper.

Primus Cyrilli cyclus hoc anno cœpit. qui annorum XCV. fuit. Deſiit autem anno Chriſti DXXXI. ut ſuo loco dicetur. Vide lib. II. cap. LXVIII.

| Per. Jul. ✳☉ Ind. | Mundi. | Anni Chr. | Æra Dioc. | Imp. Rom. | Olymp. | Urbis cond. | Æra Nab. |
|---|---|---|---|---|---|---|---|
| 5151 27. 2. 6 B | 4421 | 438 | 155 | 31 14 | II | 1191 | 1186 |

*Theodoſius* XVI. — *Sixti*
*Fauſtus.* — 7.

Iidem piratæ multas inſulas; ſed præcipuè Siciliam vaſtavere. Adverſus Gotthos in Gallia quædam proſperè geſta. Proſper. Idatius ait cæſa Gotthorum octo millia Aëtio duce. Item Hermericum Suevorum regem morbo oppreſſum Rechilam filium ſuum ſubſtituiſſe in regnum, qui Andevotum ad Singilionem Bæticæ fluvium aperto Marte proſtravit. Iſidorus Undenotum appellat Romanæ militiæ ducem.

Marcell. Cotradis prædo cum piratis ſuíſque comitibus captus, interfectúſque eſt.

S. Joannis Chryſoſtomi reliquiæ Conſtantinopolim allatæ die 28. Januarii, ibi ſepultæ. Valentinianus cum uxore Eudoxia Ravennam ingreſſus eſt. Socrates lib. VII. cap. XLIV. ait S. Chryſoſtomi corpus relatum anno XXXV. poſtquam depoſitus eſt, Conſulatu XVI. Theodoſii, VI. Kal. Febr.

Coſmas Veſtiarius id à Proclo impetratum ſcribit: cùm is Catholicos, qui ob Chryſoſtomum ſeparatim conventus agerent, adunaſſet.

Cùm autem Joannis corpus Comanis moveri non poſſet, Theodoſius litteras ad eum ſcripſit.

Ignatii quoque reliquiæ in Fortunæ templum tranſlatæ. Evagr. L. I. c. XVI.

Inventa ſunt corpora SS. XL. martyrum. Sozom. L. IX. cap. II.

Eudocia conjux Theodoſii voti ſolvendi cauſâ Hieroſolymam miſſa ab Theodoſio: quod votum Melaniæ cohortatione ſuſceperat. Illa Hieroſolymitanos alloquens, & ad Græcas in Palæſtinam inductas colonias alludens, in concione dixit,

Ὑμετέρης γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.

Quod in Annalibus ad illam Lacedæmoniorum & Hiero-